

mata, et plena, non de inchoata, quæ est quædam animi dejectio, unde incipit timor. Et sic supra quæst. xxv, articul. v, dixit D. Thomas quod timor sequitur ad desperationem, quod intelligendum est via intentionis, loquendo de desperatione consummata, hæc enim opponitur spei, et sicut spes est de bono seu fine consequibili, ita desperatio ejus opposita est de fine non consequendo, et sic præcedit in intentione. Et sic signanter dixit S. Thomas, quod desperatio est ratio timoris, proprium autem finis est esse rationem aliorum, et aversio seu remotio a fine consequendo est ratio fugiendi media, quod facit timor. Vel etiam desperatio imperfecta, scilicet quædam animi dejectio, præcedit via executionis timorem, sequitur autem plena, et consummata desperatio, quando jam omnia media dimittuntur propter impossibilitatem consequendi, talis enim desperatio supponit præcessisse timorem de consequendo.

QUÆRITUR SECUNDO, QUÆ SIT CAUSA,  
ET QUIS SIT EFFECTUS AUDACIÆ.

III. Respondetur causari audaciam ex his, quæ provocant spem, et erigunt illam, et his quæ excludunt timorem, qui contrariatur audaciæ. Erigitur autem spes per existimationem possibilitatis adipiscendi, et per amplitudinem cordis, ad quod confert caliditas, et copia spirituum vitalium. Excluditur autem timor per exclusionem eorum terribilium, quæ nos circumstant. Unde per se non causatur audacia ex defectu, sed ex abundantia, nisi per accidens, in quantum ex ignorantia, quæ est quidam defectus, excluditur cognitio periculorum, et timorum. Effectus autem audaciæ est promptitudo in

aggressionem prima, et deficientia in continuatione, quando audacia oritur ex illa sensitiva apprehensione, quæ non habet prævidentiam in futurum, sed subitum motum ex præsentibus, et sic facile movetur ad aggressionem, quia non videt omne periculum, postea autem periculis insurgentibus dejicitur. E contra vero audacia orta ex ratione, et discursu melius prævidet pericula futura, nec ducitur ex solis præsentibus, et ideo tardat aggredi propter sola præsentia, posita autem prævisione futuri periculi, etiamsi postea accidat, non dejicitur, sed perseverat; tum, quia non est improvisum; tum, quia ducitur motivo virtutis, quæ est constans, et perseverans.

QUÆSTIONES XLVI, XLVII,  
XLVIII.

*Ira.*

QUÆRITUR PRIMO, QUID SIT IRA, ET  
IN QUO APPETITU SIT.

I. Respondetur iram esse specialem passionem, non generalem, neque per modum prædicationis, neque per modum causalitatis, licet sit effectus multarum passionum, Est passio, quia est appetitus vindictæ, et corporalem transmutationem habet, quia fit cum accensione sanguinis circa cor. Non est generalis in prædicando, quia non prædicatur de aliis passionibus, ut de amore, et desiderio, spe, etc. quia sine ira inveniuntur. Nec in causando, quia hoc pertinet ad amorem, qui est principium, et causa cæterarum passionum. Sed tamen ex pluribus passionibus consurgit ira, scilicet ex tristitia mali illati, ex spe, et desiderio ulciscendi, ex audacia, etc. Est ergo specialis passio, quia res-

picit speciale objectum, scilicet quod, et cui. Vult enim vindictam, eamque prosequitur ut objectum quod, et ex parte respicit, et appetit aliquam rationem boni, scilicet vindictam satisfactivam suæ læsionis, licet sit mala, et nociva lædenti. Ex parte autem objecti cui, id est, personæ cui vult inferre vindictam, et hanc respicit ut malum, id est, ut nocivam, et læsivam injuriam. Et sic objectum iræ est compositum ex bono, et malo respectu diversorum, id est, respectu objecti quod, et cui. Et licet aliquæ aliæ passionibus habeant etiam objectum cui, et quod, quia vel sibi, vel alteri volunt aliquid, tamen non omnes id habent explicite sicut ira, amicitia, et injustitia, et similes. Non est ira in concupiscibili, sed in irascibili, quia non respicit bonum, aut malum absolute, sed cum quadam arduitate, et elevatione, aut difficultate, quia vindicta non quæritur nisi circa aliquid, quod existimatur magnum, id est, dignum ultione, et satisfactione, quam sumere intendit, et sic appetitus vindictæ solet etiam libido appellari ob multum impetum. Causari tamen potest ex passionibus concupiscibilis, ut ex tristitia, odio, desiderio, etc. Et sic est in illa causaliter, non formaliter.

QUÆRITUR SECUNDO, AN IRA SIT NATURALIOR CONCUPISCENTIA.

II. Respondetur secundum diversas considerationes iram dici magis naturalem concupiscentia, et e converso. Nam si in homine consideretur natura generica, sic naturalior est concupiscentia, quatenus ex communi natura habetur inclinatio ad conservandam vitam, quæ fit appetendo concupiscibilia cibi, aut potus, aut veneris. Si vero con-

sideretur natura specifica, scilicet in quantum homo est rationalis, et discursivus, sic naturalior est ira, quia appetit vindictam, quæ magis accedit ad quamdam rationem justitiae, et satisfactivi, et de hoc magis judicatur per rationem, et discursum. Et tamen sicut ratio movet ad iram conferendo de ipsa vindicta, et denuntiando causam iræ, etiam ad rationem pertinet sedare iram, inquit S. Thomas, in quantum iratus non totaliter audit imperium rationis, id est, in quantum ira sic excitatur per rationem, ut non despotice ei obediat appetitus, et ideo indiget multa ratione ad frænandum illam. Denique si consideretur natura individualis juxta complexionem particularem, sic naturalior est ira, quam concupiscentia, quando prædominatur cholericæ complexio, quæ ad iram succendit. Et quia facilius movetur cholera inter omnes humores, naturalius ex cholera sequitur ira, quam ex aliis humoribus concupiscentia, etiamsi prædominetur.

QUÆRITUR TERTIO, QUID SIT GRAVIUS  
ET PEJUS, ODIUM AN IRA.

III. Respondetur odium esse multo gravius, unde ira quando crescit, crescit in odium, et trabem facit de festuca, ut Augustinus dicit in regula. Ratio autem est, quia licet ira, et odium convenient in hoc quod appetant malum alteri, seu nocivum, tamen ira appetit sub ratione vindictæ, et satisfactionis ad ulciscendum, id est, ad faciendum æquale. Unde habet quamdam speciem justitiae. Et sic videmus quod cessante ratione justitiae, quia aestimatur alterum non offendere, cessat ira. At vero odium unit alteri malum quatenus illi malum est præcise, quia ita corruptam habet æs-

timationem de alio, quod quidquid ei nocere potest sibi bonum putat, et ita appetit illi malum quatenus illi malum est.

IV. Neque ex hoc intelligendum est, quod potest voluntas ferri in malum sub ratione mali absolute, vel ut malum est mihi, bene tamen potest velle malum, ut est malum alteri, de quo habet corruptam æstimationem, et apprehendit esse contrarium, ut optime notat Cajetanus super hac quæstione XLVI, articulo VI. Et hoc ideo, quia malum alteri, induit rationem destructivi, et ita quando illud alterum est contrarium, malum, seu destructivum illius, ex hoc ipso habet rationem boni, quia destructio contrarii bona reputatur, quia mihi bona est, licet alteri sit mala. Quare odium semper est gravius, et oritur ex causa permanentiori, scilicet quia habetur existimatio de altero, quod est contrarius, et ita semper vult destructionem illius. Ira vero solum respicit satisfactionem de illo, et ultionem. Et ideo vult non solum quod alteri inferatur nocumentum, sed etiam quod cognoscat propter illatam injuriam sibi inferri: odium vero de hoc non currat, quia solum vult malum inimici. Et ideo ex parte mali desiderati, odium de se magis excludit misericordiam quam ira, iratus enim facta satisfactione statim cessat; odium vero non quærit satisfactionem per quam mensuret malum, quod vult, sed absolute vult illud, licet non omne malum semper velit alteri, sed determinatum, quia sic vult: ex parte autem modi desiderandi magis excludit ira misericordiam, quia impetuosior est.

QUÆRITUR QUARTO, AN IRA DICATUR ESSE CUM RATIONE, ET ERGA HOMINES AD QUOS EST JUSTITIA.

V. Respondetur quod ira ex ipso appetitu vindictæ habet quemdam modum rationis, in quantum fit hoc secundum quamdam collationem, qua mensuratur pœna, seu ultio, et satisfactio cum injuria, et hoc maxime denuntiatur per rationem. Invenitur tamen in brutis per instinctum, quatenus sine comparatione, et collatione instigantur ad propulsandum documentum. Unde proprie solum movetur homo per iram erga illos, ad quos est justitia, scilicet, ad creaturas racionales, quia proprie inter illas est justum vindicativum, et satisfactivum, quod respicit ira. Sed tamen invenitur ira etiam circa res inanimatas, vel irrationales quantum ad motum appetitus ad repellendum quodvis nocumentum, sicut est in brutis, non tamen cum omni proprietate iræ, id est, per modum vindictæ, quia de his, qui non sentiunt, seu non intelligunt non vindicamur, quia vindicta requirit quod alter doleat, et sentiat se propter injuriam percuti, et juxta mensuram satisfactionis.

QUÆRITUR QUINTO, QUÆ DICANTUR SPECIES IRÆ.

VI. Respondetur tres assignari a Damasceno, et Gregorio Nysseno, scilicet fel, maniam, furorem. Tria enim concurrunt ad iram, scilicet concitatio motus irascentis, tristitia ex læsione, et injuria illata, vindicta desiderata per iram. Quando prævalet concitatio motus, dicitur fellea, quia fel cito concitatur ex cholera, et tales irati vocantur acuti. Quando dominatur tristitia de

injuria illata, vocatur mania, quia diu manet in memoria, et tales dicuntur amari. Quando prævalet desiderium vindictæ, dicitur furor, quia non quiescit nisi puniat, et tales dicuntur difficiles. Et videntur esse differentiæ accidentales, sumptæ ex diversa dispositione subjecti ad irascendum, non ex diversis motivis objecti formalibus.

QUÆRITUR SEXTO, QUÆ SINT CAUSÆ IRÆ.

VII. Respondetur formalem rationem motivam iræ esse aliquod læsivum, seu factum contra se, reducunturque omnia talia motiva ad parvipensionem, seu modum aliquem contemptus, aut injuriæ tangentis excellentiam, vel propriam, vel amicorum, seu eorum, qui ad nos pertinent. Etenim proprie ira respicit vindictam, et ultionem pro læsione, aut offensa, et sic sub specie justitiam procedit, id est, sub specie satisfactivi, unde supponit in eo contra quem irascitur dari aliquid injustum contra se. Nisi enim præcedat aliquid contra se factum, non habet unde injuriam, et offensam causet, et sic non potest vindictam, et ultionem prætere, quod est irasci: imo etiam Deus ipse, licet non sit capax alicujus læsionis in se, est tamen capax læsionis in suo honore, et reverentia debita, quantum ad observationem suorum præceptorum, et in his, quæ sub sua cura sunt. Hæc autem læsio, seu injustum de quo quæritur ultio, generali nomine vocatur parvipensio, quatenus in se vel in bonis suis, aut his, quæ ad se pertinent, in quibus aliquis vult excellere, aut quiescere, non permittitur manere. Et sic parvipensio non solum est circa honorem, aut famam, sed etiam circa quodcumque bonum in quo quis

vult excellere, aut quiescere, et ab illo dejici, minorari est, et parvipendi, quia non multum curamus de eo quem aut lædimus, aut obliviscimur.

VIII. Qua ratione etiam ad bruta animalia extenditur parvipensio, ut quando vulnerantur, aut cibus, vel aliquid simile eis admittitur, quia in hoc minorantur a bono quod appetunt, et hoc est parvipendi; et similiter homines, quando hæc illis fiunt, aut bona ab eis tolluntur, apprehendunt se ab aliis parvifieri, et quasi castigari, aut non æstimari, cum hæc contra illos audent, et sub hac ratione insurgunt ad vindictam. Unde et philosophus II rhetoricorum tres species parvipensionis ponit, scilicet despectum, contumeliationem, et epiriasmum, id est, impedimentum propriæ voluntatis, sub quo comprehenditur cujuscumque boni ablatio, seu diminutio. Et ex hoc discernere potest quis affectus suos, si ex ira, vel ex odio procedunt, quia si appetit quis punitivum, et satisfactionem est ira, si appetit malum simpliciter alteri etiam sine punitio est odium.

IX. Ex parte autem materialis causæ, seu materiæ, quæ ad iram movet, maxime attenduntur duo, alterum ex parte irascentis, alterum ex parte lædentis, et moventis ad iram. Ex parte irascentis excellentia ejus movet magis, seu auget motivum iræ, quia quanto in aliqua re quis excellit, tanto est injustior parvipensio, et magis ultionem provocat, quamvis ex parte dispositionis in subjecto ad iram requisito, non tam excellentia, quam infirmitas, et defectus conducat, quatenus infirmi facilius tristantur de nocumento illato, et ex tristitia disponuntur ad iram. Sed hoc nec tenet se ex parte motivi formali, quod est parvipensio, sed ex parte dispositionis subjecti. E contra vero in ipso læ-

dente, defectus ejus, et parvitas in lædendo, et injuriando provocat magis ad iram, quia tanto est major, et injustior parvipensio, quanto a minoribus fit, quia isti tenentur magis honorare superiores. Unde et Job xxx dicitur: *Nunc autem derident me juniores, quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei.* Licet ex alia parte, quia honoratioribus abundant jus honorare possunt, si ab eis despiciamur, magis sentimus, quia magnum honorem nobis impediri æstimamus; sed si non debetur, non irascimur contra illos, nec ulcisci desideramus, et sic non provocat ad iram, sed ad tristitiam. Quod si is, qui lædit, parvitatem habeat, et ostendat non in lædendo, sed in pœnitendo, et humiliando se, hoc magis mitigat iram, quia ex hac parvitate, et humiliatione sui alter magni æstimatur.

QUÆRITUR SEPTIMO, QUI SINT EFFECTUS IRÆ.

X. Respondetur effectus iræ inveniri in appetitu, in corpore, in mente, seu ratione. In appetitu causat delectationem et in ea terminatur. Incipit enim a tristitia de illato sibi nocimento, et quia quærit ejus repulsam per vindictam, maxime in tali repulsa delectatur, consummate quidem quando vindicta est præsens, in spe autem, quando ad eam conatur. In corpore causat duplicem effectum. Primo, circa cor accensionem sanguinis, et evaporationem fellis, unde et fit cum amaritudine, quia tendit ad punctionem

contrarii, et naturaliter unumquodque fortius, et impetuosius movetur ad præsentiam contrarii, quia fortificatur natura, ut illud propulset, et sic in animali fit magna impetuositas ad ultionem et repulsionem contrarii, et ideo accenditur cor. Ex hoc autem secundo habet manifestare hunc impetum, et perturbationem cordis, præcipue in illis membris, in quibus expressius relucet vestigium cordis, et motus vitalium spirituum, ut in facie, in oculis, in lingua, in tantum quod aliquando, impeditur præ ira usus linguæ in loquendo, et sic habet pro effectum silentium, seu taciturnitatem.

XI. Denique in mente, seu ratione habet pro effectum perturbationem judicii, quia licet ira, incipiata ratione ut a denuntiante et discurrente circa injuriam, et ultionem, tamen perturbato corde, et accenso sanguine cum tanta evaporatione ad cerebrum, perturbantur vires sensitivæ a quarum ministerio dependet opus rationis, et sic non serenato sensu conturbatur in ira oculus, nec enim perfecte obedit ita rationi, licet a principio aliquantulum eam audiat. Cum autem dicit philosophus, quod iratus non est insidiator, sed manifestus, concupiscentia autem est latens, et insidiosa, hoc dicitur, quia ira quærit ulcisci injurias manifestando excellentiam, quia offensa est, et læsa, et in sui manifestatione maxime laboratur, concupiscentia autem est mollis, nihil excellentiæ, et ardui habens, sed plurimum turpitudinis, et ideo quærit latere, et maxime dolet, si prodatur.

QUÆSTIO XLIX.

DE HABITIBUS IN GENERALI, QUOAD EORUM  
SUBSTANTIAM.

SUMMA LITTERÆ.

Ab hac quæstione incipit D. Thomas tractatum de principiis humanorum actuum, post considerationem enim humanorum actuum, tam ex parte voluntatis, quam ex parte passionum, quæ aliquid libertatis participant, restat agere de principiis a quibus procedunt, quæ sunt partim intrinseca, partim extrinseca. Dicuntur intrinseca principia, non quia essentialia, aut solum quia in nobis inhærentia, sed quia in suis operationibus, et motibus deserviunt, et subordinantur principio extrinseco moventi, vel solum intrinseco operanti: verbi gratia anima est intrinsecum movens in homine, cui dantur potentiæ tamquam facultates, seu instrumenta, quibus operetur, et ulterius habitus tamquam complementa, et modificationes, seu determinationes harum facultatum. Et ideo sive per acquisitionem generentur per proprios actus, sive a Deo infundantur, semper ad hunc finem dantur, ut deserviant ipsi potentiæ tamquam complementum ejus, et ei subordinati, et in linea moventis intrinseci ponuntur, quia potentia cum habitu sive acquisito, sive infuso, unum movens est, et unum operativum completum, et perfectum.

At vero extrinsecum movens dicitur, quod sine dependentia, et subordinatione ad animam, movet ipsam sive moraliter, ut suadendo, et dirigendo; sive physice, adjuvando, et influendo. Et licet per illam motionem aliquid imprimat in anima quod sit illi intrinsecum, id est, illi inhærens, tamen in movendo, et operando semper agit ex ordine, et habitudine ad extrinsecum a quo impressum est, et non totaliter ex ordine, et subordinatione ad principium intrinsecum, quod ipsa anima est; sicut potentiæ, et habitus etiam infusi, quia sic infunduntur ut in operando ei subordinentur in quantum habitus ejus sunt, licet in quantum gratia, seu gratuito dati, et impressi, etiam ad extrinsecum principium a quo derivantur, pertineant. Et sic non est inconveniens, quod sub diversis formalitatibus, et considerationibus idem ad diversa principia intrinseca, et extrinseca pertineat, sicut gratia habitualis, et virtutes infusæ, quæ illam sequuntur in quantum gratuito data, et impressa a Deo sequuntur motionem principii extrinseci, in quantum habitus completivi potentiæ subordinantur principio intrinseco, sicut virtutes.

Quapropter de principiis actuum humanorum acturus D. Thomas prius tractat de principiis intrinsecis, deinde de extrinsecis. De extrinsecis quæ sunt lex, et gratia tractabitur a quæstione xc, usque ad finem. De intrinsecis distinguit, quia vel sunt potentiæ, vel habitus. Potentia sunt intellectus, et voluntas, et quæ ab his moventur, ut vires sensitivæ, de quibus omnibus actum est in prima parte agendo de anima, et ejus potentiis. Et